

HEINRICVS A VVALPOT PRIMVS ORDINIS  
Theutonicorum magister.



**H**einricus ille ex pia & nobili familia à Vualpot apud Germanos natus erat. itaq; ab ijs in omnis generis uirtutibus educatus est. Erat autem ipse optima indole & magna corporis & animi fortitudine præditus. Itaq; pietatis ergo cum alijs Germaniæ proceribus Hierosolymam profectus ut rebus Christianorum laborantibus succurreret. Cum autem ibi potentiam hostium & Christianorū paucitatem intellexissent, nobiles Germani (uoto facto sese omni tempore cōtra impios pugnaturos) Theutonicorū equitum ordinem instituerunt, atque hunc Heinricum uirtutis ergo suū Magistrum & ducem elegerunt. Itaq; Heinricus cum suis præclaris multa facinora contra impios ædidit, & in prælijs sæpe uictor, nutantem Christianorū in Syria Rempub. restituit. Cum aut regū Hierosolymitanorum dissidio Saladinus urbe sancta potiretur, Heinricus suum Collegiū & Hospitale S. Mariæ Anconam (quæ & Ptolomais dicitur) trāstulit, atq; eam urbem fortiter contra Sarracenos defendit, anno 1190. Effecit ergo ut multi principes & nobiles Germaniæ sua bona huic ordini conferrent, arcj ad eos profecti eū ordinem amplecterentur. Tandem Heinrico defuncto, Otto de Kerpen in officium summi Magistri substitutus est, anno 1200. Monst. in German. Ut autē horum Magistrorum successionem ad nostra tempora usq; intelligamus, eos ordine subiçiam.